

## DISSERTATIO III. DE ECCLESIA.

### ARTICULUS I.

#### Quid sit Ecclesia?

**E**CCLESIA est vox græca, latine *Evocatio*, sive quia omnes ad se vocat, ut quidam volunt, sive quia Deus, ut alii, præveniente sua gratia omnes ad eam vocat. Hæc de Etymologia nominis. Quantum autem ad ejus significationem, Ecclesia, generalissimè sumpta, significat quemcumque cœtum, seu congregationem, sive civilem, ut Ps. 106. *Exaltent eum in Ecclesia plebis*: sive malam, ut Ps. 25. *Odium Ecclesiam malignantium*: sive bonam, ut Rom. 16. *Salutate vos Ecclesie Christi*. Communi vero Scripturarum & SS. Patrum usu, Ecclesia sumitur in bonam partem pro Ecclesia Christi. Unde

Dico 1. Ecclesia Christi, generaliter sumpta secundum omnem statum, locum, & tempus, *Est congregatio Fidelium, in vero Dei cultu ad adorandum sub Christo capite*: & sic comprehendit fideles veteris Testamenti, non solum eos, qui pertinebant ad Synagogam, scilicet Judæos, sed etiam alios fideles extra Synagogam, quales erant Job, Melchisedech, &c. Item comprehendit Beatos, etiam Angelos in Cœlo, & animas patientes in Purgatorio, & fideles Viatores. In Beatis dicitur Ecclesia triumphans, in animabus Purgatorii Ecclesia patiens, in Viatoribus Ecclesia militans; non quod sint diversæ Ecclesie, sed diversæ partes, seu diversi status ejusdem Ecclesie.

Dico 2. Tempore veteris Testamenti Christus nondum venerat: ergo R. hoc non obstante, fideles veteris Testamenti credebant Christum venturum, & intuitu ejus meritorum futurorum salutem consecuti sunt, & ideo Christus erat illorum caput.

Dico 3. Christus non est caput Angelorum, quia sunt diversæ ab eo nature, neque ex ejus meritis salutem sunt consecuti: ergo R. N. Antec. Ad Prob. licet non sint ejusdem nature specificæ, sunt tamen ejusdem nature genericæ: conveniunt enim genericè cum Christo quoad animam; quod sufficit ad rationem capitis moralis: & quamvis ejus meritis non sint salvati, varias tamen ab eo nunc recipiunt influentias, quæ etiam sufficiunt ad rationem capitis, ut diximus in Tract. de Incarnatione.

Dico 4. Beati in Patria non habent fidem: ergo non sunt fideles. R. dici fideles a fide, quam habuerunt in via, & qua sunt consecuti salutem. Sicut dicuntur Martyres, non quia patiuntur in Cœlo, sed quia passi sunt in terra, & hæc passione Cœlum meruerunt.

Verum, quia tota præsens Dissertatio est potissimum de Ecclesia militante, assignanda est ejus definitio. Unde

Dico 2. Ecclesia Christi militans est *Societas Fidelium baptizatorum ejusdem fidei professione, eorumdem Sacramentorum participatione, eodem cultu inter se adunatorum, sub uno capite Christo in Cœlis, & sub ejus in terris Vicario summo Pontifice*. Dicitur Societas Fidelium baptizatorum: quia Baptisma est janua Ecclesie, nec nisi per illud potest quis fieri membrum Ecclesie, ut declarant Florent. & Trid. Sess. 14. cap. 2. & nos alibi probavimus. Dicitur, *In ejusdem fidei professione, &c. adunatorum*; quia, cum Ecclesia sit societas in ordine ad ultimum finem supernaturalem, qui est Dei possessio, adunatio debet esse in mediis, ad hunc finem consequendum necessariis, quæ sunt virtutes, Sacramenta, & cultus Dei.

Dicitur, *Sub uno Capite, &c.* quia Ecclesia in Scripturis vocatur Civitas, Regnum, Ovile, Corpus. Non est autem Civitas, Regnum, Ovile, Corpus sine subordinatione civium Gubernatori, populorum Regi, ovium Pastori, membrorum Capiti: Christum autem esse Ecclesie caput constitutum, declarat Scriptura Ephes. 1. *Deus Ipsum dedit caput super Ecclesiam*; & c. 5. *Quoniam vir est caput mulieris, sic Christus est caput Ecclesie*; de quo plura dixi in Tract. de Incarnatione Dissert. 9. art. 1. Quia verò Christus, nunc in Cœlis existens, non apparet amplius in terra, debet esse alius vicarius ejus: & hunc esse Pontificem Romanum constat ex eo, quod Christus dixit illi in persona Petri Joann. 21. *Pasce oves meas*, & ex pluribus aliis, de quibus Dissert. seq.

Dico 3. Vacante Sede Romana, non est Christi Vicarius: ergo tunc deficit Ecclesia. R. N. Conseq. Quia Ec-

clesia est semper parata recipere Vicarium, qui eligetur, & illi obedire, sique censetur semper subesse Christi Vicario, remanet vera Christi Ecclesia.

Observandum hic 1. Quod hoc vocabulum *Synagoga* significabat apud Judæos, quod apud nos significat Ecclesia, cum hoc discrimine, quod Ecclesia sit congregatio filiorum per gratiam; Synagoga congregatio servorum per timorem. Observandum 2. Quod per Metonymiam sumendo continens pro contento, Ecclesia etiam significat locum, in quem Religionis causa conveniunt fideles: sic templum vocamus Ecclesiam; quo sensu dixit Apost. 1. Cor. 11. *Conveniuntibus vobis in Ecclesiam*. Et c. 14. *Mulieres in Ecclesia tacetis*. Eodem sensu locus, in quem conveniebant Judæi, dicebatur Synagoga.

### ARTICULUS II.

#### Qui sint in Ecclesia?

**Q**uestionem hanc præcedenti immediatè subjicio; quia ex notione & definitione Ecclesie sequitur & elucet. De multis autem procedit: 1. de solis Prædestinatis. 2. de solis Justis. 3. de Catechumenis. 4. de Hæreticis. 5. de Schismaticis & Excommunicatis. Unde sit

#### §. I. Utrum omnes & soli Prædestinati sint in Ecclesia.

**D**ico: Nec omnes, nec soli Prædestinati sunt in Ecclesia. Est contra Wicelistas, & ex parte contra Lutheranos & Calvinistas. Patet 1. pars; quia absurdum est dicere, S. Paulum Ecclesiam persequentem, Judæos Judæizantes, Ethnicos, Turcas, &c. in sua Religione pertinaces, Ecclesiam Christi odio, aut ludibrio habentes, esse in Ecclesia; atqui quidam ex istis sunt, aut erant prædestinati, id saltem constat de S. Paulo; nec dubium est plures ex Judæis & Ethnicis, qui conversi sunt ad fidem, fuisse prædestinatos: ergo.

Prob. 2. Pars: 1. Christus Matth. 4. comparat Ecclesiam Arcem, in qua sunt triticum & paleæ, igne inextinguibili comburenda. Ibid. 13. *Segenæ misse in mare* ex omni genere piscium congreganti, in qua non solum boni continentur, sed etiam mali ejiciendi. Ibid. 22. *Convivio nuptiali*, in quod intrant, qui non habent vestem nuptialem, & ideo mittendi in tenebras exteriores. Apostolus comparat magnæ domui, in qua sunt vasa, alia ad honorem, alia in contumeliam; atqui certum est, Prædestinatos non esse comburendos igne inextinguibili, non esse ejiciendos, non mittendos in tenebras exteriores, nec esse vasa in contumeliam: ergo non soli Prædestinati sunt in Ecclesia. 2. Si omnes sunt in Ecclesia, qui illam per Sacramentum fidei, hoc est, Baptismum, sunt ingressi; atqui non soli Prædestinati sunt baptizati: ergo 3. Cum Prædestinatio nemini sit cognita, si Ecclesia solis Prædestinatis constaret, Ecclesia foret invisibilis, cujus oppositum infra probabimus; neque Pastores agnoscere possent suas oves, neque oves suum pastorem.

Dico 1. Arca Noë fuit figura Ecclesie; atqui hi soli erant in Arca, qui erant salvandi ab aquis: ergo hi soli sunt in Ecclesia, qui salvandi sunt a damnatione. R. D. Maj. Arca Noë fuit figura Ecclesie quantum ad aliquid, C. quantum ad omnia, N. In duobus Arca Noë fuit figura Ecclesie. 1. Quod sicut in Arca fuerunt animalia munda & immunda, ita in Ecclesia sunt boni & mali. 2. Sicut extra Arcam nullus fuit salvatus, sic extra Ecclesiam nullus est salvandus.

Dico 2. Soli Prædestinati sunt oves Christi, juxta illud Joann. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt*, & Matth. 25. ubi oves separantur ab hædis: ergo soli Prædestinati sunt in Ecclesia. R. N. Ant. Quamvis enim locis Scripturæ citatis per oves significentur soli Prædestinati, non sic tamè alibi, ut Joann. 21. *Pasce oves meas*, & Ps. 71. *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ*; quibus in locis non possunt per oves intelligi soli Prædestinati, sed omnes, qui per Baptismum intrant Ecclesiam: alioquin nec Petrus potuisset agnoscere, quas oves haberet pascendas, & Prædestinati non secus, ac reprobi furori Dei subicerentur.

Subsumes; atqui istæ oves, quibus significantur alii, quam Prædestinati, non sunt in ovili, seu in Ecclesia: ergo.

go. Prob. Ant. Joann. 10. *Alas oves habeo*, inquit Christus, *quæ non sunt ex hoc ovili*: ergo R. N. Ant. Ad prob. Christus ibi loquitur de Gentilibus, qui ad fidem erant convertendi, idèque erant oves secundum Prædestinationem: & hi non erant ex hoc ovili, id est, de Ecclesia ex Gente Judaica collecta; sed adducendi erant in aliud ovile, hoc est, Ecclesiam Christi ex Judæis, & Gentilibus congregandam; sequitur enim: *Et illos oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus Pastor*.

Dico 3. Ecclesia Camis. 4. dicitur *Hortus conclusus, fons signatus*. Aug. autem l. 5. de Baptismo c. 27. dicit, *Electos esse hunc hortum conclusum, & hunc fontem signatum*: ergo R. Aug. dum dicit, *Electos esse hunc hortum*, loqui de Ecclesia secundum portionem ejus excellentiorem: neque dicit, omnes, & solos electos esse in Ecclesia, sed significat tantum, quod sic eos concludit, aut aliquando concludit, ut ab illa non recedant. Cæterum Ecclesia dicitur *Hortus*, quia fideles in ea producunt fructus bonorum operum: dicitur *conclusus*, quia manit Dei, & Angelorum custodia: dicitur *fons*, quia est fons Doctrinæ salutis: dicitur *signatus*, quia illam non intrant Pagani, & Hæretici, quando remanent tales.

Dico 4. Apost. Hebr. 3. distinguens inter Christum, & Moysen, quod iste sit servus, ille filius, dicit: *Christus verò tanquam Filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei usque ad finem firmam retinuerimus*: ergo non sumus in Domo Dei, seu Ecclesia, si non perseveremus usque in finem. R. N. Conseq. Ibi enim Apost. hortatur dumtaxat Hebræos ad perseverantiam in fide, non obstantibus contradictionibus, & persecutionibus, significans nihil eis profuturum, membrum Ecclesie fuisse, si usque in finem non perseverent.

Dico 5. Joannes Ep. 1. c. 2. loquens de his, qui a fide defecerant, dicit: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nisi, si fuissent ex nobis, permisissent utique nobiscum*. Et Aug. l. de corrept. & grat. c. 9. expendens hæc verba: *Sunt quidam, inquit, qui Filii Dei propter susceptam, vel temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec tamen sunt Deo... Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis*: ergo, qui non sunt prædestinati, etiam videantur esse in Ecclesia, non sunt tamen. R. N. Conseq. Quia tam Apostolus, quam Aug. loquuntur de filiis Dei secundum Prædestinationem: unde vere dicunt: *exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis*, seu in Ecclesia, secundum Prædestinationem scilicet, quamvis essent secundum fidem, & Sacramentorum communionem.

Inst. Aug. l. 3. Doctr. Christ. c. 321. dicit: *Non est verum Domini corpus, quod cum illo non erit in æternis*: ergo R. D. Ant. Non est verum Domini corpus, quod cum illo non erit in æternis secundum aliquam saltem membra. C. Quod non erit cum illo in æternis, secundum omnia membra: N. Aug. ibi agit contra Ticonium quemdam Donatistam, qui Corpus Christi, seu Ecclesiam bipartitam fecerat, unam Prædestinatorum, alteram Reprobatorum; & dicit, non esse Christi Corpus, aut Ecclesiam, cujus aliquod saltem membrum, aut pars non sit futura cum ipso in æternis, sique non esse Corpus, aut Ecclesiam solum Reprobatorum. Eodem sensu intelligendum est, quod dicit in Ps. 131. *Sunt, inquit, qui non perseverant, non ergo sunt ipsi Ecclesia*: id est, non sunt pars ea Ecclesie, quæ cum Christo maneat in æternis: *Ipsi, inquit, non pertinent ad illud modum Tabernaculum, tum Domum*.

#### §. II. Utrum soli Justi sint in Ecclesia?

**D**ico: Non soli Justis, sed peccatores etiam manifesti sunt in Ecclesia. Prob. 1. ex tribus comparationibus *Arcis*, *Sagene*, & *Convivii*, de quibus Conclusio præcedentis: patet enim probant de peccatoribus, ac de non Prædestinatis. Adde Parabolam decem Virginum, cui comparatur Ecclesia; quæque erant fatuæ, & tamen in Ecclesia, a qua tandem ejiciuntur. Item figuram *Arcis Noë*, in qua erant animalia munda, & immunda. 2. Christus Matth. 18. præcipit, ut peccator, privatum correptus, & non emendatus, denuntiatur Ecclesie; quam si non audierit, ab ea ejiciatur: ergo supponit peccatores in Ecclesia. 1. Cor. 5. in Ecclesia Corinthiorum invenitur Incensuosus. 3. Christus instituit in Ecclesia Sacramentum Penitentis, quo peccatores resurgunt, & sanantur: ergo supponit esse in Ecclesia peccatores, alioquin frustra esset istud Sacramentum. 4. Ecclesia est societas Fidelium baptizatorum in eadem fide, sub eodem capite

ordinata; atqui peccatores, qui nec sunt Hæretici, nec Schismatici, nec Excommunicati, sunt Fideles baptizati in eadem fide, sub eodem capite ordinati: ergo.

Eandem Doctrinam tradunt SS. Patres, Chrysost. in Ps. 39. Hieron. contra Lucifer. c. 8. Aug. præsertim, qui specialiter opponitur, l. 3. de Doctr. Christ. c. 32. Tract. 6. in Joann. *Nos fatemur, inquit, in Ecclesia bonos, & malos esse, sed tanquam grana, & paleam*. Tribus libris contra Ep. Parmen. Tribus aliis contra Ep. Petil. in quorum ultimo c. 12. dicit: *Homo sum de Arca Christi, palea si malus, granum si bonus: non est hujus Arce ventilabrum lingua Petiliæ*. Item in Breviculo collationum contra Donatistas; & tandem libr. ad eodem post collat. c. 9. & 10. Argumenta contra hanc Conclusionem require in Tract. de Incarnatione Dissert. 9. art. 2. §. 1. ubi reperies insuper plures propositiones damnatas Quercelli, hæc, & præcedentes §. Conclusionem spectantes. Ut unum tantum argumentum hic addam, illic omissem.

Dico 6. Isaias 35. de Sion, id est, de Ecclesia dicit: *Non transibit per eam pollutus... non erit tibi leo, & mala bestia non ascendet per eam: Et c. 52. non adificiet ulterius, ut pertranscat per te incircumcisus, & immundus... recedite, recedite ex inde, pollutum nolite tangere, exiite de medio ejus*: ergo R. hæc ad litteram intelligi de temporali persecutione Judæorum. Hortatur itaque Isaias Judæos, ut finito tempore captivitatis recedant ab Infidelibus; prædicatque, eos non amplius subjiciendos incircumcisus, neque ab eis suas terras amplius esse vastandas. Mystice autem hæc significant, quod porta inferi non prævalerunt adversus Ecclesiam, & quod fideles debeant recedere a moribus, & Religione Infidelium.

Insuper observandum est pro intelligentia quorundam Patrum, Augustini præsertim, peccatores non esse membra viva, & perfecta Ecclesie suo capiti per charitatem unita, sed imperfecta, & quamvis non mortua, mortificata tamen, sola fide conjuncta. Unde, quando dicunt peccatores, non esse in Ecclesia, intelligunt non esse in ea, ut membra viva, & perfecta; vel sumunt Ecclesiam pro ea parte, qua solos justos continet: quamvis enim non sint dux Ecclesie, sunt tamen quasi dux ejus partes, altera justorum, altera peccatorum. Insuper juvat audire Aug. l. 2. Retract. c. 18. ubi ait: *Ubiunque in his libris (contra Donatistas) commemoravi Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed que preparatur, ut sit, quando apparuit etiam gloriosa: nunc enim propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum, quotidie dicit: dimitte nobis debita nostra*.

#### §. III. Utrum Catechumeni sint in Ecclesia?

**D**ico: Catechumeni non sunt re & propriè in Ecclesia. Prob. 1. Nullus ingreditur Ecclesiam, & fit ejus membrum, nisi per Baptismum, ut dicitur est Art. præced. atqui Catechumeni non sunt baptizati: ergo 2. Qui sunt in Ecclesia, capaces sunt Sacramentorum Ecclesie; horum autem Catechumeni non sunt capaces, cum Baptismus sit janua ad alia Sacramenta, ut dixi de Baptismo: ergo 3. Patres, Tertull. de Præscript. c. 41. Chrysost. Hom. 24 in Joann. Cyrillus Catach. 1. Aug. Tract. 11. in Joann. distinguunt Fideles a Catechumenis.

Dixi, *re & propriè*: quia cum Catechumeni postulent ingredi Ecclesiam, & jam habeant fidem, & quandoque charitatem, possunt dici esse in Ecclesia proximè, & in voto: sicut, si aliquis dicatur esse in domo, quia est in vestibulo domus, ut statim intrat. Et hoc sensu intelligendum est, quod alibi dixi, eos pertinere ad Ecclesiam, scilicet inchoatè, & ut aspirantes, qui se Ecclesie legibus spontè subjiciunt; & ideo salvari possunt. Nec obstat, quod extra Ecclesiam non sit salus; id namque intelligitur de eo, qui nec re, nec in voto est in Ecclesia, eoque sensu intelligitur Aug. Tract. 5. in Joann. ubi dicit: *Futuri erant aliqui in Ecclesia excellentis gratia Catechumeni*, scilicet, voto, & proxima dispositione.

Dico 1. Christus influit in Catechumenos fidem, quandoque charitatem: ergo sunt membra Ecclesie. R. N. Conseq. Quamvis enim Christus influit in omnia membra Ecclesie, non tamen in ea sola influit. Patet non solum in Catechumenis, sed etiam in Excommunicatis, si verè eos possideat.

Dico 2. Job, Melchisedech, & quidam alii erant in Ecclesia Dei; atqui tamen non erant circumcisi: ergo, licet Chatechumenus non sit baptizatus, est in Ecclesia Christi.



ti. R. N. Conseq. Disparitas est, quod Circumcisio non fuerit data, ut quid necessarium omnibus ad salutem, & incorporationem Ecclesie Dei, sed uni populo Judaico, ut signum fidei Abraham, qui credidit, se futurum Patrem Christi promissis. Unde data est pro maribus tantum, & non pro foemina. Baptismus autem institutus est, ut ubique terrarum predicaretur tanquam quid necessarium ad salutem, & quo omnes Christo, & ejus Ecclesie incorporarentur.

§. IV. *Utrum Hæretici sint in Ecclesia?*

**D**ico. Hæretici, non solum manifesti, sed etiam occultati, & interni non sic sunt in Ecclesia, ut sint vera ejus membra. Sic propositio Conclusionem propter Hæreticos occultos, & internos, de quibus est potissimum difficultas, qui licet sint in Ecclesia secundum quid, id est, externis, & apparenter; probabilius tamen arbitramur, non esse de Ecclesia, nec vera ejus membra: sicut, si lupus pelle ovina tectus reperiretur inter oves, esset in ovili, sed non esset de ovili, ut vera ejus pars.

Prob. 1. Juxta Conc. Lateran. cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, S. Th. 3. p. q. 8. a. 4. ad 2. Catech. Romanum 1. p. c. 10. q. 2. ex Aug. Ecclesia est societas Fidelium; atque Hæretici etiam occultati, & interni non sunt Fideles: ergo. Neque obstat, quod externis fidem profiteantur; inde namque sequitur tantum, quod appareant Fideles, & pro talibus habeantur, non tamen quod sint. 2. Ecclesia est corpus habens unionem, non solum externam, sed etiam internam membrorum inter se, & cum capite; atque Hæretici etiam occultati nullam habent unionem internam inter se, & cum capite; fides enim est primum uniens, & fundamentum ceterorum. 3. Christus non est caput actuale Hæreticorum etiam occultatorum: ergo non sunt membra Ecclesie. Prob. Ant. De ratione capitis non solum est supereminetia, & perfectio, sed præcipue influxus in membra; atque Christus nihil inluit supernaturale in Hæreticos etiam occultos; quid enim influeret non fidem, qua carent; non ipsam professionem exteriorum fidei, quia Christus non inluit in sua membra hypocrisis, simulationem, & mendacium, qualis est hæc Hæreticorum simulata fides.

Si dicas, influere gratias actuales. Contra 1. Quod istæ gratiæ actuales non sint quid permanentes; vinculum autem uniens membra alicujus corporis inter se, & cum capite, debet esse aliquid permanentis, ut patet in naturalibus, & civilibus: sic non dicitur aliquis de corpore alicujus familie, aut membrum illius, licet solet eam aliquando invisere. 2. Quia alias sequeretur, quod Christus esset etiam caput Invidiosum non baptizatorum, siquidem in eos etiam inluit gratias actuales.

Repones, inde sequi, Hæreticum occultum esse membrum mortuum, non tamen non esse membrum. R. Neque esse membrum mortuum, sed præcisum; membrum enim mortuum est adhuc interitus connexionem cum corpore. At Hæreticus etiam occultus non connectitur amplius interitus cum corpore, sed seipsum per Hæresim abscondit, debetque comparari parti, seu membro abscisso latenti sub veste, ratione cujus apparet adhuc membrum, licet non sit; quod magis patet ex Aug. Unde

4. S. Aug. l. 4. de Bapt. c. 16. Ubi de Hæretico occulto, qui alicujus emolumenti temporalis causa in catholica unitate manet, dicit: *Non solum separatus habendus est, verum etiam tanto sceleratius, quanto magis errori hæresis, & divisioni militatis fallaciam simulationis adjungit.* Idem libr. de unit. Ecclesie c. 25. de occultis Hæreticis: *Multi, inquit, tales sunt in Sacramentorum communione cum Ecclesia, & tamen jam non sunt in Ecclesia.* Et infra: *Antequam visibiliter excommunicetur, quisquis contra veritatem qua convinctur, & arguitur, inimicum gestat animum, jam præcisus est.* Et q. 11. in Matth. de eo, qui interius pertinaciter erat contra fidem, dicit: *Hæreticus est, & foris est animo, quamvis corporaliter intus videatur.* Similiter l. 2. contra lit. Petilian. c. 108. de iisdem Hæreticis occultis: *Nec ideo, inquit, putandi sunt esse in Christi corpore, quod est Ecclesia, quia Sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt.*

Dices. Juxta Apost. 2. Tim. 2. in magna domo sunt vasa aurea, & argentea, lignea, & fictilia; atque magna domus est Ecclesia, vasa lignea, & fictilia sunt Hæretici juxta Aug. l. 4. contr. Donatist. c. 12.: ergo. R. N. Min. pro secunda parte: per vasa enim lignea, & fictilia non intelliguntur Hæretici, sed infirmi, & carnales, id est, peccatores, ut interpretatur Cyprianus Ep. 52. S. Augustinus

verò contrarium non dicit ex propria sententia, ut patet ex probationibus, sed per motus auctoritate, ut credebatur Cypriano: *Et istos, inquit, de quibus ait Apostolus, sermo eorum sicut cancer serpit, vellem intelligere foris fuisse, sed Cyprianus ipse non sinit.* Verum constat, & id ostendunt Lovanienses ad c. 12. cit. l. 4. contra Donat. Cyprianum, Ep. 52. laudata, per vasa fictilia non intellexisse Hæreticos, sed Peccatores; agit enim ibi contra Novatianum, qui Ecclesiam solis Justis constare, & peccatores neque ad penitentiam, neque ad Ecclesiam recipiendos esse dicebat; cui ideo exprobat S. Præsul ipsam prætere, quod Apostolis non fuit concessum, scilicet agrum Dominicum universis zizanias, & magnam domum omnibus vasis fictilibus expurgare. Ubi patet, quod Cyprianus intelligat per vasa fictilia peccatores ad sensum Novatiani, & non Hæreticos. Id adeo manifestum, quod in ipsa Ep. asserat, Novatianum esse extrâ Ecclesiam, & nemini non notum est, quod rejecerit Baptisma Hæreticorum, maxime quia non erant in Ecclesia. Quapropter quidam, salva reverentia Aug. debita, dicunt ipsum non satis attendisse ad verba Cypriani; alii, quod intelligat, Hæreticos esse in Ecclesia non simpliciter, & tanquam ejus membra, sed secundum quid tantum & apparenter, quantum vel eandem fidem externis profitentur, si sint occultati; vel saltem iisdem Sacramentis utuntur, si sint manifesti.

Plura alia argumenta contra hanc Conclusionem videri possunt in Tract. de Incarnat. Dissert. g. art. 2. ea non repeto; quia quæstio non est tanti momenti, & controversia videtur esse inter Theologos magis de modo dicendi, quam de re. Aliud esset, si quæstio moveretur juxta systema Juris Ministris Calviniani in Tract. de unitate Ecclesie, edito ann. 1688. qui contendit, Ecclesiam universalem complexi in suo sinu omnes Hæreticos etiam manifestos, qui non errant circa articulos fidei fundamentales, eosque ideo, non obstante hæresi, posse salvari.

Verum, ut paucis rem expediam, 1. Istud systema Patribus incognitum, & ad usque Juri tempora inauditum, ipsa sua novitate est reprobandum. Etenim Patres priorum seculorum, omnesque fideles, fatente ipso Jure, nomine Ecclesie Catholice non intellexerunt nisi unam communionem, a qua excluderentur quicumque hæretici saltim manifesti. Dicere autem cum Jure, eos errasse, & falsam Ecclesie ideam sibi finxisse, puniende temeritatis est, ne dicam insensate. Itâ sanè post sexdecim secula soli Jure reservatum erat scire, quid sit Ecclesia. 2. Injustitiam accusandi forent totius Ecclesie Patres, & Episcopi, qui quoscumque Hæreticos a sua Communionem repellabant, & ad eam, atque ad Ecclesiam non recipiebant, nisi ejuratis omnibus hæresibus. 3. Juri contradicit Scripturæ: *Unus Dominus, una fides* Ephes. 4. 4. Hæreticus circa unum articulum fidei, qualiscumque sit, non habet fidem circa alios, ut probavimus Tract. superiori. 5. Tandem nondum hucusque convenire potuerunt Novatores, quinam sint articuli fidei fundamentales.

§. V. *Utrum Schismatici, & Excommunicati sint in Ecclesia?*

**D**ico: Schismatici, & Excommunicati excommunicatione majori, non sunt in Ecclesia. Prob. Licet utriusque possint retinere fidem, imò Excommunicati habere charitatem, si verè poeniteant, de facto tamen sunt ab Ecclesia præcisus; quia Schismatici a capite, & a membris voluntariè se separant: est enim Schisma voluntaria scissio: excommunicati auctoritate legitima ab eodem corpore separantur: ergo neutri sunt amplius socii, seu consociati; Ecclesia autem est Societas. Confirm. Ecclesia in Parasceve orat pro Schismaticis sicut pro Hæreticis, ut ad Ecclesiam redeant: & Christus Matth. 18. loquens de Excommunicato dicit: *Sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.*

Dices 1. Omnes Sectæ Orientales, præsertim Ecclesia Græca, sunt Schismaticæ. Durum est autem dicere, eas omnes extrâ Ecclesiam esse: ergo. R. N. Maj. Plures enim in Oriente, & inter Græcos agnoscunt Romanum Pontificem. Nec omnes, qui illum explicitè non agnoscunt, dicendi sunt Schismatici formales; plures sunt enim qui adherent animo, & affectu Ecclesie capiti a Christo instituto, & qui explicitè adherent Romano Pontifici, si instruerentur.

Dices 2. Otto Schismate seculo 14. inter Urbanum VI. & Clementem VII. alii adharebant Urbano, alii Clementi: ergo omnes unius factionis erant Schismatici, & extrâ Ecclesiam. R. N. Conseq. Omnes enim tunc adha-

rebant ei, quem bona fide credebant legitimum Pontificem, animo parati adhærere illi, quem Ecclesia in Conc. generali legitimum declarasset.

Dices 3. Aug. l. contr. Donatistas post Collationem c. 20. dicit: *A populo Dei non separamus, quos, vel degradando, vel excommunicando, ad humiliorum Penitentiae locum redigimus:* ergo. R. Aug. loqui, vel de separatione perpetua absque spe reditus, & salutis, vel de separatione ab hominibus piis, & sanctis, qui sunt vere Dei populus, & viva Ecclesie membra. Pro quo observandum est, esse in Ecclesia triplicem communionem: prima est purè interior, & invisibilis per gratiam, & charitatem per quam quis unitur capiti, & membris. Secunda est partim interior, partim exterior in Sacramentorum participatione, Suffragiorum, & Oratorum communicatione, & in cura Pastorum circa suas oves; quæ omnia licet sint exteriora, habent tamen effectus internos. Tertia est purè exterior in externa communicatione sacra, vel civili. Itaque Excommunicatio privat secunda, & tertia communione, sed non privat prima directè, & per se. Et quavis supponat hanc privationem ex peccato mortali, propter quod fertur, potest tamen peccator verè poenitere, & sic habere communicationem internam per charitatem cum fidelibus piis, & sanctis, qui, ut dixi, sunt verè, & propriè Populus Dei. Observandum insuper, fuisse olim quosdam species Excommunicationis improprie, ut quando Episcopus denegabat alteri suam Communionem: quando alicui Episcopo commendatitiae non acceptabantur ab aliis, & ad illum non dabatur. Sed cum hujusmodi Excommunicationes non procederent a potestate clavi, atque sæpe in non subditos exercerentur, non erant verè, & propriè Excommunicationes, neque excludabant ab Ecclesia. Hac observatione occurrer quibusdam factis antiquitatis, quæ contra Conclusionem opponuntur.

ARTICULUS III.

*Utrum Ecclesia sit visibilis?*

**I**therani & Calvinistæ visi sunt primitivè agnoscere visibiles, pura verbi Dei prædicatio, & sincera Sacramentorum administratio. At, cum Catholici peterent ab ipsis, ut assignarent hanc Ecclesiam visibilem ante suam reformationem, hæserunt illis aquæ. Assignare non poterant Ecclesiam Romanam, a qua tanquam a Synagoga Satanae recesserunt: aliam invenire non poterant, nec possunt, in qua visibiliter omnia dogmata, quæ ipsi tenent, docerentur. Ut ergo ab hoc laqueo se extricarent, quidam finierunt duplicem Ecclesiam: unam invisibilem Prædestinatorum, alteram visibilem Prædestinatorum, & Reprobatorum. Alii dixerunt, Ecclesiam etsi visibilem tunc poenè extinctam fuisse, ita ut non videretur amplius. Missera sanè effugatio!

Quæstio est de visibilitate præsentis Ecclesie per oculos corporeos, cum judicio, & certa persuasionem, quod sit Ecclesia Christi; alioquin foret visibilis materialiter, & non formaliter sub ratione Ecclesie, sicut v. gr. qui videret Leonem nesciens quid sit Leo, videret quidem animal, quod est Leo, sed non videret formaliter sub ratione Leonis. Duo in Ecclesia attendi possunt. Unum interius, quod quidam vocant animam Ecclesie; & est fides, qua membra Ecclesie inter se, & cum capite interius colliguntur. Aliud exterius, quod vocant corpus Ecclesie, scilicet societas exterior eorum, qui publica ejusdem fidei professione, eorundem Sacramentorum, & Pastorum communione conjunguntur. Licet autem id, quod est interius, sit in se invisibile, dicitur tamen Ecclesia visibilis per suum exterius: sicut licet anima hominis sit in se invisibilis, homo tamen ex facili dicitur visibilis.

Dico: Ecclesia Christi est perpetuò visibilis. Prob. 1. ex Scripturis. Isa. 2. dicitur: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domine in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Hunc montem Hieronymus in hunc locum intelligit Ecclesiam. Ps. 18. *Posuit in sole tabernaculum suum, id est, in manifesto, inquit Aug. Tract. 2. in Epist. Joann. & Tract. de Cantico novo c. 5. Utrobique addens, per Tabernaculum intelligi Ecclesiam.* Matth. 5. *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* De quo textu Aug. l. 2. contra Crescon. c. 36. ait: *Extat Ecclesia cunctis clara atque conspicua, quippe civitas, quæ abscondi non potest super montem constituta.* Item Parabolæ Aræ, Agri, Sagenæ, quibus Christus Theol. Billuart. Secunda Secunda.

tus Ecclesiam expressit, apertè significant, eam esse visibilem. Act. 20. Episcopi dicuntur positi, ut regant Ecclesiam Dei. Paulus ad Gal. 1. fatetur, se persequutum fuisse Ecclesiam Dei. Act. 8. legitur, suscitatum fuisse persecutionem contra Ecclesiam: non poterant autem regere, & persequi Ecclesiam nisi visibilem. Et Matth. 18. frater incorrigibilis denunciandus est Ecclesie, quam si non audierit, habendus est ut Ethnicus, & Publicanus; quomodo autem potest denunciari Ecclesie, & audire Ecclesiam, si sit invisibilis?

Prob. 2. ex Patribus. Præter Hieron. & Aug. jam laudatos, Origenes hom. 30. in Matth. *Ecclesia, inquit, plena est fulgore, ab Oriente usque ad Occidentem.* S. Cypri. l. de unit. Ecclesie n. 4. *Ecclesia Domini luce perfusa est, per orbem totum radios suos porrigit.* Prob. momentis Theologicis: 1. Omnes tenentur accedere ad Ecclesiam, extrâ quam non est salus, ut fatetur ipsi Hæretici; atqui id impossibile foret, si Ecclesia sit invisibilis. 2. Ecclesia est societas hominum, hi autem sunt visibiles. 3. In Ecclesia fit exterior professio fidei, administrantur Sacramenta, prædicatur verbum Dei, exercetur iudicium per Superiores in inferiores, congregantur Concilia, eduntur definitiones fidei, conduntur leges: hæc autem omnia sunt visibilia: ergo.

*Solvuntur objectiones.*

**O**bj. 1. Juxta Scripturas Ecclesia est spiritualis: ergo invisibilis. Prob. Ant. Jer. 31. *Dabo, inquit Deus, legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi mihi erunt in populum,* Joann. 4. *Veni hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* 1. Petr. 2. *Superedificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.* Hebr. 12. *Non accessitis ad tractabilem montem... sed ad Sion montem, & civitatem Dei venitis &c.* Mons autem est Ecclesia. Luc. 17. Pharisæis Christum interrogantibus, quando veniret Regnum Dei temporale, ut existimabant? Respondit Christus: *Non venit Regnum Dei cum observatione, neque dicitur: Ecce hic, aut ecce illic: Ecce enim Regnum intrat vos est.* Et ait ad Discipulos suos: *Venient dies, quando desideretis videre unum diem filii hominis, & non videbitis: Et dicit vobis: Ecce hic, & ecce illic: Nolite ire, neque sectemini.* Ex quibus duo colliguntur: 1. Quod Regnum Dei, quod est Ecclesia, sit intrâ nos, consequenter spirituale, & invisibile: 2. Quod si Ecclesia esset visibilis, posset dici, hic, aut illic est Christus. R. D. Ant. Ecclesia est spiritualis secundum quid, ratione scilicet formæ interioris, quæ est fides, charitas, &c. C. simpliciter, & absolute, N. Est enim corpus constans capite, & membris visibilibus. Sic licet homo sit spiritualis quoad animam, est tamen visibilis per corpus. Insuper Ecclesia potest dici spiritualis ratione sui Auctoris, ratione effectuum, & finis supernaturalis, quæ omnia sunt spiritualia: quod autem est his modis spirituale, potest esse corporeum, & visibile, ut patet de Sacramentis. Ad 1. non agitur ibi de Ecclesia, sed de lege nova comparative ad veterem; & significatur, quod lex nova sit lex gratiæ, & charitatis, seu ipsa gratia, & charitas scripta, & diffusa in cordibus; lex veteris autem sit lex timoris, & quantum ex se, tantum extrinsecus sonans. Ex quo sequitur, non quod Ecclesia sit invisibilis, sed quod plura invisibilia contineat, nempe virtutes, & dona S. Spiritus. Ad 2. Hæc verba: *Veri adoratores adorabunt in spiritu, & veritate*, non significant, quod omnis cultus exterior sit rejiciendus, siquidem Christus ipse cum in pluribus occasionibus adhibuit; sed *Adorabunt in spiritu*, significat, quod Sacrificia Christianorum non offerentur in uno tantum loco determinato, neque erunt carnalia, & ad litteram, sicut Sacrificia Judæorum; sed quod poterunt offerri ubique, & quod procedent ex corde, & spiritu charitatis, ad quem Deus maxime attendit. *Adorabunt in veritate* significat, quod Christiani non adorabunt amplius in figuris, sicut Judæi, sed in re figurata. Ad 3. Ecclesia dicitur domus spiritualis, vel ratione formæ interioris, scilicet fidei, & charitatis, vel ratione Auctoris, finis, & effectus, ut diximus: est tamen corporea, & materialis, cum constet capite, & membris corporeis. Ad 4. S. Th. & quidam alii intelligunt de Ecclesia Triumphantem. Alii, ut servetur Antithesis, intelligunt de Ecclesia generaliter sumpta, quæ licet, qua militans, sit visibilis, non tamen qua triumphans. Ad 5. non agitur ibi de Ecclesia; sed per Regnum Dei intelligitur gratia, seu conformitudo ad litteram ipse Christus: exponit enim ibi



Domini duplicem suum adventum. De primo dicit, quod Messias non venerit cum observatione, id est, cum signis, & pompa; & quod sit intra ipsos, quos aliamque non in ipsorum consortio, & ipsis presentem. De secundo ait: *Dicent: ecce hic, aut illic, nolite ire*: id est, nolite credere Antichristo, & falsis eius Apostolis.

Obj. 2. Forma Ecclesie, nempe fides, est interior, & invisibilis: ergo Ecclesia est invisibilis. R. N. Conseq. Ut enim aliquid sit, & dicatur visibile, non requiritur, quod ex omni parte videri possit, sed sufficit, quod ex aliqua parte videatur. Sic homo est visibilis, quia secundum faciem extornam videtur, licet anima ejus in se non videatur. Idem dic de omnibus substantiis corporeis, & visibilibus, in quibus tamen ratio substantie non videtur. Sic ergo in Ecclesia forma interior, nempe fides, non videtur in se, sed videtur corpus habens caput, & membra visibilia, externa fidei professione, Sacramentis, cultu, regimine coadunata.

Inst. Idem homo est visibilis, quia, licet ejus anima in se non videatur, attamen per functiones naturales, & necessarii cum illa connexas, se manifestat, alioquin non videretur homo, sed cadaver; idem dic de substantiis corporeis, in quibus ratio substantie per accidentia se manifestat; atqui id dici non potest de Ecclesia; quia, cum professio exterior fidei, Sacramentorum administratio, & cetera exteriora non sint necessario connexa cum fide, ut patet in hypocritis, fidem interiore non manifestant: ergo, R. D. Min. Exteriora Ecclesie non manifestant fidem interiore in aliquibus particularibus, C. in corpore, N. Quamvis enim non sit certum, quod hic vel ille, qui fidem exterioris proficitur, illam intus habeat; est tamen certum, non ratione connexionis naturalis, sed ex ordinatione divina, quod vera fides sit in eo corpore, seu societate, que fidem exterioris proficitur & habet certas notas, quod sit vera Christi Ecclesia, de quibus statim.

Inferes: ergo potest etiam videri ceteris Prædicatorum. R. 1. N. Suppositum, quia nunc non datur ceteris Prædicatorum solum in unum coadunatus; est enim in hac vita tritum mixtum palca. 2. Dato supposito, N. Illationem; quia non sunt certæ ceteris Prædicatorum distinguendi, sicut sunt dignoscendi Ecclesiam, seu ceterum fidelium.

Repones. Ille nota debent credi, & ad faciendam fidem deservunt: ergo per eas non videtur Ecclesia. R. Notas Ecclesie, & videri, & credi. Videmus signa exteriora; hæc autem esse notas vere Ecclesie, credimus ex Scripturis, & Symbolis fidei: & cum deprehendimus societatem, cui ille nota convenient, credimus, eam esse veram Christi Ecclesiam. Ille itaque nota efficiunt Ecclesiam visibilem, & insuper deservunt, ut hæc Ecclesiam visibilem credamus esse veram Ecclesiam: sic miracula Christi videbantur, & ipsum visibilem efficiebant, simulque intuitus movebant, ut in eam crederent.

Obj. 3. Quod creditur, non videtur; atqui credimus Ecclesiam: ergo eam non videmus. R. D. Maj. Quod creditur non videtur, ea parte qua creditur, C. Ea parte qua non creditur, N. Videmus itaque societatem fidelium, & credimus, eam esse veram Christi Ecclesiam, esse in ea veram fidem, regi Spiritu S. &c. sic videmus effusionem aque super hominem cum certa verborum forma, & credimus, esse Sacramentum Baptismi: sic S. Th. vidit humanitatem Christi, & creditit ejus Divinitatem, exclamans Joann. 20. *Domine meus, & Deus meus*.

Petes, utrum visibilitas competat sectis Hæreticorum? R. Non competere eo gradu, quo competit Ecclesie Christi; quia non sunt toti orbi conspicue, sicut Ecclesia Christi, neque semper fiere visibiles; ante Lutherum enim, & Calvinum, ubi videbantur? neque insigniora conspiciuntur in eis, sicut in vera Ecclesia, perpetua, & imperturbata successio suorum Pontificum, Congregatio Conciliorum, ejectio Hæreticorum &c.

ARTICULUS IV.

De notis vere Ecclesie.

Dum agimus cum Ethnicis, qui non admittunt Scripturas, ut ostendamus eis veritatem Religionis, ac Ecclesie nostre, procedimus per rationem, proponendo eis motiva credibilitatis, quibus quisque lumen rationis sequens moveri debet, ut credat hæc Ecclesiam veram, quam tot; ac tanta motiva suadent. Dum verò agimus cum Hæreticis, qui Scripturas admittunt, procedimus cum eis ex Scripturis, & per eas demonstramus, veram Ecclesiam ha-

bere certos characteres, sen notas, quibus dignoscatur, atque eas soli Ecclesie Romanæ convenire.

Notæ alicujus rei debent esse illi propriæ, & non communes; alias non magis illam rem designant, quam aliam: non quod singule seorsim debeant esse illi propriæ, sed saltem omnes collectivè. Item debent esse notiores re, quam demonstrant.

Dum dicimus, esse certas vere Ecclesie notas, non est sensus, quod istæ notæ reddant veram Ecclesiam in se evidentem; alias ab omnibus agnosceretur, & non esset objectum fidei; credimus tamen Ecclesiam, ergo eam non videmus. Sed sensus est, quod istæ notæ reddant Ecclesiam evidentè credibilem, ita ut sit evidentè credibile, Ecclesiam, cui istæ notæ conveniunt, esse veram Ecclesiam; & culpandam sit, qui non credit. His prælibatis quaruntur duo: Primum, an, & quæ sint notæ vere Ecclesie? Secundum; cui Ecclesie competant, an Romanæ, an Sectis Novatorum?

§. I. An, & quæ sint notæ vere Ecclesie?

Dico (Opus. 6. c. 12.) Quattuor sunt notæ vere Ecclesie, scilicet, quod sit Una, Sancta, Catholica, & Apostolica. Ita Concilium Constantinop. & partim Apostolicum.

Vera Ecclesia est una.

Prob. Cantic. 6. dicitur: *Una est Columba mea*. Joann. 10. *Fiet unum ovile, & unus Pastor*. Ephes. 4. *Unum corpus*. Luculenter Apost. 1. Cor. 12. *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus. Et enim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*. Eandem unitatem Ecclesie ostendunt Parabole, quibus Christus illam expressit; Agri, in quo uno crescut zizania cum beno tempine; Sageræ, que una bonos, & malos pisces congregat; Aræ, que bona-grana, & paleas colligit. Idem dicitur de figuris, quibus designata est Ecclesia; scilicet, Paradisi terrestri, Arca Noë, Domus Raab, & Templi Jerosolymitani. Hanc veritatem laudabat Cyprianus libr. de unit. Ecclesie, & Ep. 76. & Aug. in suis operibus contra Donatistas, & alibi.

Dicitur autem Ecclesia una, non tantum unitate numerali, quia est unica, sed pluribus aliis titulis, potissimum duobus: I. Unitate concordie, seu consensionis in eadem finem ultimum, & in eadem media ad illum, nempe in eadem fidem præsertim, eadem Sacramenta, eundem cultum, & eadem præcepta ad salutem necessaria. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma*, Ephes. 4. 2. Unitate ordinis, seu dispositionis ordinatæ plurium sub eodem regimine unius capituli; *Unum ovile, unus Pastor*, Joann. 10.

Dices 1. Apost. Rom. 16. dicit: *Salutant vos omnes Ecclesie*, ergo. R. esse plures Ecclesias particulares, que sunt partes unitus universalis, sicut plures Provincie sunt partes unitus Regni.

Dices 2. Si unitas Ecclesie consisteret in concordia animorum respectu mediorum ad eundem finem ultimum, ad eam requireretur charitas; atqui id dici non potest, alias, qui non haberet charitatem, non esset in Ecclesia: ergo. R. D. Sequelam: ad eam unitatem requireretur charitas, ut esset perfecta, C. ut esset simpliciter unitas, N. Hanc enim facit eadem fides.

Inst. Qui habent eandem qualitates, non dicuntur unus; sed similes: ergo nec eadem fides facit unitatem. R. D. Si hi, qui habent eandem qualitates, sint entia per se completa, C. si sint partes animi totius tendentis in eundem finem, quales sunt omnes Catholici, N.

Repones: Consensio animorum reperitur inter Ecclesie hostes: ergo unitas concordie non est Ecclesie nota. R. D. Ant. Consensio animorum in rebus malis reperitur inter Ecclesie hostes, C. in eodem fine ultimo, & eisdem mediis ad illum, N. Talis autem est concordia, que ponitur nota Ecclesie.

Dices 3. Diversa regna possunt subijci eidem Principi: ergo ex parte unius capituli non habetur unitas Ecclesie. R. N. Conseq. Disparitas est, quod diversa Regna sint tota integra, & per se completa, quibus est per accidens, quod unus Princeps præsit; id enim non habetur ex institutione divina, aut naturali. At omnia membra Ecclesie ex institutione divina sunt per se partes unius totius eidem capiti subditi.

Inst. Unitas ordinis sub eodem capite convenit aliis, quam Ecclesie: ergo saltem non est nota Ecclesie. R. D. Aut. Unitas ordinis sub eodem capite in iisdem rebus, &

Vera Ecclesia est apostolica.

Ratione scilicet originis & successionis non interruptæ; quia fundata a Christo, qui dicitur *Apostolus confessionis nostre*. Hebr. 3. & ab Apostolis propagata & firmata, atque ab eis derivata, usque nunc perseverat. Unde Christus est fundamentum Ecclesie primarium, quo sensu dicitur 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*; Apostoli autem fundamentum secundarium: & idcirco Ephes. 2. *Fideles dicuntur superædificati super fundamentum Apostolorum*: Apocal. 21. *Murus Civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum*: & Christus Joann. 17. *Non pro eis (Apostolis) autem rogo tantum; sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Hanc notam dignoscendi veram Ecclesiam passim urgent SS. Patres. Tertull. l. de Præscript. cap. 33. *Si quæ, inquit, Ecclesie audent interserere se ætati Apostolicæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: edant ergo originem Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit Auctorem & antecessorem*. Hieron. contr. Lucifer. cap. ult. dicit: *In illa esse Ecclesia permanendum, que ab Apostolis fundata usque ad diem hunc durat*.

§. II. Cui Ecclesie hæc quatuor notæ conveniant?

Dico. Hæc quatuor notæ soli Ecclesie Romanæ conveniunt, non Sectis Hæreticorum. Prob. 1. Pars: 1. Ecclesia Romana est una unitate consensionis in ultimum finem, & in eadem media, scilicet, eandem fidem, eadem Sacramenta, eundem cultum, &c. Item est una unitate ordinis, seu ordinate dispositionis omnium Catholicorum sub eodem regimine unius capituli, Romani Pontificis. Hæc per se patent. Nec obstat, quod Catholici Doctores in pluribus inter se dissentiant; ea enim, in quibus dissentunt, non sunt dogmata fidei, sed opiniones libere, de quibus Ecclesia nihil definit. Unitas autem, que ponitur nota Ecclesie, est unitas fidei.

2. Ecclesia Romana est sancta ratione sui capituli Christi, aliorum suorum Fundatorum, Apostolorum scilicet, & eorum Successorum, SS. Patrum, qui illam adversus Hæreses defenderunt & suorum Martyrum, qui suo sanguine illam sigillarunt. Est sancta ratione finis, scilicet cultus divini, cui tota consecratur; ratione Sacramentorum, Legum, Officiorum, Sacrificiorum, Cæremoniarum, que omnia sanctitatem spirant. Est sancta ratione Doctrinæ, que non, nisi quod in Scripturis, aut Traditione continetur, proponit credendum, non nisi virtutem præcipit, non nisi vitia prohibet. Adde in hujus Sanctitatis confirmationem innumera miracula a Christo & Apostolis patrata, ac in Scripturis relata; deinde ea, que operati sunt Viri sancti & Apostolici, quæque referunt Tertull. l. ad Scapulum c. 4. & Apolog. c. 5. Euseb. l. 5. Hist. c. 5. S. Basilus l. de Spiritu S. c. 29. S. Hieron. de Viris illustribus. S. Aug. l. 22. de Civit. c. 8. Deinde plurimi Scriptores fide digni. Hæc autem omnia negare, ut protervè faciant Hæretici, quid est, nisi omnibus Historiis fidem detractare?

3. Ecclesia Romana est Catholica ratione loci & conditionis personarum. Si loquamur de catholicitate permanenti & simultanea, que, ut observavimus, debet intelligi moraliter pro diffusionem in plures & præcipuas Orbis partes plusquam quælibet secta, certum est, eam convenire Ecclesie Romanæ; hæc enim floret in Europa, in America, in pluribus Regnis, Provinciis, & Insulis Orientis; & quamvis non ita nunc, sicut olim, floreat in Africa, & in quibusdam Provinciis Asia, & Septentrionalibus Europæ; plures nihilominus adhuc reperuntur in illis vere fidei & Ecclesie Romanæ cultores, ita ut sit longè magis extensa, quam quælibet secta. Si loquamur de catholicitate, seu unitate successiva, constat etiam, eam convenire Ecclesie Romanæ. Hæc enim sola ab exordio usque nunc annuntiat, & annuntiat nomen & Evangelium Christi apud exteras & dissitas nationes, quas in dies sibi aggregat, missis quacumque Missionariis, donec tandem in fine mundi compleatur diffusio & universalitas, juxta illud Matth. 24. *Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus; & tunc veniet consummatio*. Item est Catholica ratione Doctrinæ, quippe omnes errores damnat; nullum docet. Tandem ita est Catholica, ut semper sic vocata fuerit, et sic adhuc vocetur.

eodem modo convenit aliis, quam Ecclesie, N. in diversis rebus & non eodem modo, C. Unitas itaque ordinis sub uno capite in Ecclesia est quoad regimen Ecclesiasticum in rebus fidei, Sacramentorum usu, præceptorum observantia, culto divino, &c. Item ab ipso Christo dicitur originem, & sine interruptione perseverat. Hujusmodi autem unitas nulli nisi Ecclesie convenit.

Vera Ecclesia est sancta.

Prob. (Ibid. Cant. 6. dicitur *decora, columba, pulchra ut luna, electa ut sol*; Petr. 2. *Genus electum, gens sancta*. Ephes. 5. *Pro ea se tradidit Christus, ut illam sanctificaret*. Est autem sancta. 1. Ratione capituli & sponsi, qui est Christus, Sanctus sanctorum, & fons totius sanctitatis. 2. Ratione finis, scilicet, cultus divini, cui per Baptismum consecratur. 3. Ratione aliorum Sacramentorum, Officiorum, Cæremoniarum, legum, que omnia spirant sanctitatem. 4. Ratione Doctrinæ, que ducit ad sanctitatem acquirendam, vel agendam.

Vera Ecclesia est catholica.

Hæc vox *Catholicum* est græca, composita ex *Kata*, quod significat secundum, & *olon* quod significat totum. Hinc *Catolon*, id est, secundum, seu per totum Catholicum igitur idem est, ac universale. Est autem vera Ecclesia Catholica, seu universalis, (Ibid.) 1. Ratione loci, quia est per totum orbem diffusa: Ps. 77. *Dominabitur a mari usque ad mare: & a flumine usque ad terminos orbis terrarum*. Ps. 18. *In omnem terram extitit unius coram*. Marc. 16. *Evangelium in universum*. 2. Ratione conditionis personarum; quia cujusvis conditionis personas, sive Judæos, sive Gentiles, sive nobiles, sive ignobiles, sive masculos, sive feminas, denique cujuscumque nationis, aut conditionis homines ad se vocat, & volentes complectitur: Ps. 2. *Postula a me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre*. Ps. 21. *Convertentur ad Dominum universi fines terre, & adorabunt in conspectu ejus universæ familie gentium*. Marc. 16. *Prædicatè Evangelium omni creature*. Apocal. 3. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni Tribu & lingua & Populo & Natione, & fecisti nos Deo nostro Regnum*. 3. Ratione durationis, Daniël 2. *Suscipit Deus Coeli Regnum, quod in æternum non dissipabitur*. Math. ultimo: *Ecce vobis cum sum usque ad consummationem sæculi*. 4. Ratione Doctrinæ, quia docet quæcumque sunt, vel credenda, vel facienda, vel vitanda.

Circa universalitatem loci observandum est, posse dupliciter accipi, vel pro diffusionem simultaneam & permanentem per totum orbem, vel pro diffusionem successiva tantum. Si primo modo sumatur, intelligenda est universalitas non in rigore metaphysico, sed moraliter pro diffusionem in plures & præcipuas partes Orbis, ita ut Ecclesia sit magis diffusa, quam quælibet alia Secta; quo sensu Daniël 2. & 8. dicitur, quod Nabuzodonosor occupaverit omnia Regna mundi, & quod Alexander imperavit universæ terræ; non quod hi Reges revera imperaverint toti Orbi, sed pluribus & præcipuis Provinciis. Si secundo modo sumatur, intelligenda est universalitas rigorose, ita quod Ecclesia nunc in plures & præcipuas partes diffusa, paulatim & successivè diffusetur in alias partes donec tandem ubique recipiatur, juxta illud Colos. 1. *Evangelium in universo mundo est, & fructificat & crescit*. Ubi juxta Aug. ep. 80. præsens ponitur pro futuro propter certitudinem effectus, ut frequens est in Scripturis. Constat enim, tunc temporis Ecclesiam non fuisse ubique diffusam.

Circa universalitatem personarum est etiam observandum, eam non esse intelligendam de omnibus & singulis personis, sed de omni ratione, gente, & genere personarum; non enim omnes & singule personæ omnium gentium sunt promissæ, sed omnes gentes: credit itaque omnis gens in omnibus, qui electi sunt, inquit Aug. ep. laudat.

Dices: Idololatria fuit olim Catholica, seu universalis: ergo catholicitas non est nota vere Ecclesie. R. N. Ant. 1. Quia Idololatria non fuit in omnibus una Religio, sed in diversis diversa, cum diversi diversos Deos colerent. 2. Non ab omnibus ut vera admittetur: etenim veri Dei cultores eam rejiciebant, & ipsimet Gentilium sapientiores eam observabant, non tanquam veram Religionem, que illis placeret, sed politici tantum, quia legibus præcipiebatur. Ita refert S. Th. Opusc. 70. ex Seneca & S. Aug.



Unde Aug. contra Ep. fundamenti c. 4. „*Me*, inquit, in Ecclesia Romana tenet ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut, cum omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærent, tamén peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.“

4. Ecclesia Romana est Apostolica 1. ratione Doctrinæ ab Apostolis derivatæ. Ecclesiam priorum sæculorum fuisse Apostolicam, & Apostolorum Doctrinam tenuisse, fatentur Hæretici; si qua ergo ab illo tempore mutatio accidit in Ecclesia Romana, & ab hac Apostolica Doctrina defecerit, ostendi possunt; quæ in omni insigni mutatione contingunt: Quod & quale sit istud novum dogma, quis immutationis & defectionis Auctor, quo loco, quo tempore cepit, quos oppugnatores habuit? Hæc nobis ostendant Hæretici in Ecclesia Romana. Quoties aliqua hæresis caput erexit, statim se opposere Catholici, & usque ad sanguinis effusionem verbis & scriptis contra steterunt: & dum Roma caput mundi nova dogmata euderet, nova Sacramenta fingeret, totus mundus quasi somno correptus silisset! Quis credat? Item Ecclesia Romana est Apostolica ratione successionis, non interruptæ, Pastorum suorum ab Apostolis: Unde Aug. superius cit. dicit: *Tenet me* (in Ecclesia Romana) *ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacrorum.* Confirm. tota hæc 1. Pars. Ecclesia Romana in prioribus sæculis, & adhuc tempore Concilii Constantinopolitani, in quo assignatæ sunt quatuor prælate notæ veræ Ecclesie, erat vera Christi Ecclesia, & competeant illi istæ notæ, id fatentur Hæretici; atqui vera Christi Ecclesia deficere non potest, ut modo probavimus: ergo.

Prob. 2. Pars Conclusionis. Sectæ Hæreticorum non habent unitatem consensionis in una fide. Patet 1. ex eorum variationibus in dogmatibus; quas in clara luce posuit Illustriss. Bossuetus. 2. ex tot Sectis, in quas scissi sunt Lutheranismus & Calvinismus, quæ tamen remanent in eadem universali Ecclesia, secundum ipsos, si non errant circa veritates fundamentales: imò ann. 1631. in Synodo Charentonensi, & ex Lutherismo & Calvinismo facta est una Communio, & una Ecclesia, quamvis notum sit, eos in pluribus dogmatibus dissentire, præsertim circa Eucharistiam. 3. Cum pro regula fidei privatum spiritum sequantur, tot sunt inter eos opiniones fidei, quot capita, & qui hodie credit unum, cras credit contrarium. Non habent etiam unitatem ordinatæ dispositionis sub uno capite; tot sunt enim inter eos capita, quot Ministri, quippe alicui uni non subordinantur, suntque sine missione & jurisdictione, ut mox dicam.

2. Non habent sanctitatem: 1. Non habent ex parte suorum Auctorum. Notum quippe est, Lutherum, Calvinum, Zuinglium, &c. non fuisse Sanctos, sed pluribus vitiis obnoxios. 2. Non habent ex parte doctrinæ: Deum quippe faciunt Auctorem peccati; imò dicunt, ipsum ad peccandum cogere, & impossibilia præcipere. Insuper docent, plures errores jam olim ab Ecclesia damnatos. Cum Simoniaci docent, bona opera esse inutilia; cum Novatianis, nullum esse Penitentiae Sacramentum præter Baptismum; cum Donatistis, Ecclesiam solis Prædestinatis consistere, & esse invisibilem; cum Aërianis, non esse orandum pro mortuis, & Episcopum a Presbytero non differre. 3. Non habent ex parte principiorum moralium: Docent namque, solam fidem iustificare, nullumque peccatum quantumvis grave, etiamsi adulterium, homicidium, sodomiam, habentibus fidem imputari; & ideo quantumvis scelestum, modo credat, se esse a Deo electum, nonquam gratiam amittere. Ita Lutherus de captivitate Babil. c. de Baptismo, & Calvinus l. 3. Instituit. c. 19. Quæ sola duo principia viam aperiant omnibus vitiis; occludunt virtutibus. Insuper notum, eos celibatum Sacerdotum, & vota Monastica damnare, claustra & templa diruere, bona Monasteriorum invadere, Imagines frangere, invocationem Sanctorum, satisfactiones & bona opera, jejunia, abstinentias, & quidquid sapit mortificationem, rejicere.

3. Non habent Catholicitatem: 1. Non habent ratione loci: latent quippe in angulo Europæ; in aliis autem mundi partibus, in Asia, in Africa, in America, non sunt, aut si quidam in his exteris nationibus reperiantur, habentur pro Hæreticis. 2. Non ratione personarum: cum enim doceant, quemque posse in sua Religione salvari, modo saltem non errant circa veritates fundamentales; non omnes ad se vocant. 3. Non habent ratione temporis; ante Lutherum enim, & Calvinum non erat eorum Ecclesia,

& aliquando non defecturum nullum habent fundamentum; imò, jam defecisse in Gallia, & in multis Belgii Provinciis, notum est.

4. Non habent Apostolicitatem: 1. Non habent ratione doctrinæ ab Apostolis derivatæ, siquidem doceant errores, quos vetus Ecclesia Apostolica damnavit, ut diximus, & fatetur ipse Calvinus l. 3. Inst. c. 4. & 5. de satisfactionibus, de celibatu Sacerdotum, de precibus pro mortuis, & de jejuniis Quadragesimæ. 2. Non ratione successionis Apostolicæ in suis Pastoribus: cui enim successit Lutherus? cui Calvinus? Unde merito dicimus ipsis cum Tertulliano l. de præscript. c. 72. *Edam originis Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, &c.* ut in fine §. præced. 3. Non ratione missionis legitimæ in suis Pastoribus. In primis non habuerunt missionem ordinariam; a quo enim illam habuissent? Non ab Ecclesia Romana, quando ab ea recesserunt; quia tunc vel erat Hæretica, & sic non erat vera Ecclesia habens auctoritatem mittendi: vel non erat Hæretica, & sic sectarii sunt Schismatici, Hæretici, & Excommunicati; atque ideo omni auctoritate, quam in Ecclesia habere poterunt regendi Ecclesiam, & constituendi legitimis Ministris, excederunt. Aliam societatem, vel Ecclesiam, a qua haberint missionem ordinariam, assignare non possunt. Non etiam habuerunt missionem extraordinariam; hæc enim vel in Scripturis exprimi debet, vel miraculis probari, qualis fuit missio Moysis, Prophetarum, Apostolorum, & ipsius Christi. Quis enim credat homini, dicenti se a Deo missum cum auctoritate Episcopali? se accepisse potestatem ministris instituendi, institutos deponendi, Doctrinam novam annuntiandi, antiquam reformandi, Conciliorum definitiones exponendi & rejiciendi, Ecclesie antiquos usus improbandi, novos inducendi, atque omnes teneri ei credere? Quis, inquam, credet, nisi missionem tam extraordinariam & tanti momenti signis & miraculis comprobet? atqui neque Lutherus, neque Calvinus, neque eorum successores hanc missionem ullis miraculis comprobant: Nullus eorum *adhuc existit*, inquit Erasmus in Diatribæ de lib. arbit. *qui vel equum claudum sanare potuerit.*

## ARTICULUS V.

Utrum Ecclesia possit deficere, seu errare in fide & moribus?

Ecclesia potest duobus modis considerari: 1. Ut est congregatio omnium fidelium tam Prælatorum, quam subditorum. 2. Prout est congregatio Prælatorum et Doctorum. Hæc dicitur Ecclesia representativa et docens, prima dicitur Ecclesia credens. Questio est, an utraque sit infallibilis; prima in credendo, secunda in dicendo: seu, ut alii dicunt, utrum Ecclesia habeat infallibilitatem tam activam, quam passivam? Inter Hæreticos quidam, ut observavimus superius, distinguunt inter Ecclesiam invisibilem Prædestinatorum & visibilem compositam ex Prædestinatis et Reprobis; priam dicunt infallibilem, non secundam. Alii dicunt, Ecclesiam visibilem esse absolute indelectibilem; sic tamen obscurari posse, ac penè extinguari, ut non sit amplius visibile. Suppositum impugnavimus in præcedentibus, asserendo unam Ecclesiam perpetuo visibilem: unde pro præsentis questionis resolutione contra eosdem.

Dico 1. Ecclesia visibile non potest deficere, aut errare in rebus fidei & morum credendis. Prob. 1. ex Prophetis veteris Testamenti: Isa. 60. „*Erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam. Osæ 2. Sponsabo te mihi in sempiternum... & sponsabo te mihi in fide, Micheæ. 4. In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium & sublimis super colles, & fluent ad eum populi... nos autem ambulabimus in nomine Domini nostri in æternum. Ps. 47. Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in æternum. Ps. 88. In æternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi, & ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies coeli. Ps. 128. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, id est, a tempore, quo cepi esse, etenim non potuerunt mihi, scilicet prævalere. In his agi de Ecclesia visibili probant hæc voces, Mons, dies, thronus, expugnare, &c.“*

Prob. 2. clarissime ex novo Testamento: Matth. 16. „*Tu es Petrus, & super hæc petram ædificabo Ecclesiam meam, utique visibilem in homine visibili fundatam; Et portæ inferi non prævalent adversus eam. Ibidem c. 28. Ecce*

vo-

vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Super quæ verba S. Th. in Catena dicit: Non cum illis solum dixit se futurum esse, sed & cum omnibus, qui post illos credunt; non enim usque ad consummationem sæculi Apostoli mansuri erant, sed sicut uni corpori fidelibus loquitur. Luc. 1. Regnavit in domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis.“ Alia testimonia proferuntur conclusionem sequenti.

Prob. 3. ex Patribus Chrysost. Sermon. de Pentecost. „*Non senescit*, inquit, non contrahitur, & multis oppugnationibus non opprimitur... Putas, eam te posse ledere, sed non poteris; Christus enim propter eam passus est: portæ Inferi non prævalent adversus eam. Ambr. l. de Salomone c. 4. Itsi (Ecclesia) undarum fluctibus, aut procellis sæpe vexatur, nunquam potest sustinere naufragium. Hieron. ad c. 14. Is. Super petram fundata Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine ventisque suberitur. Idem in c. 4. Amos Aug. l. de Symb. ad Catechum. c. 6. Ipsa est Ecclesia sancta... pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt tanquam sarmenta inutilia de vite præcisâ; ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua: portæ Inferorum non vincunt eam.“ Evidens est, SS. Patres loqui de Ecclesia visibili; Ecclesia enim invisibilis non pugnat, nec impugnatur, fluctibus & procellis non quatitur, ex illa non exeunt Hæreses, &c.

Prob. 4. Ratione: 1. Extra Ecclesiam non est salus: ergo, si Ecclesia visibilis deficiat, salus fit impossibilis; quis enim Ecclesiam invisibilem ingredi potest? 2. Si Ecclesia possit deficere, nemo erit securus de sua fide, nec ipsi Lutherani & Calvinistæ, potest enim pariter eorum Ecclesia deficere; & undè sciunt non defecisse? cum defecit, ut dicunt, accidit hominibus non advertentibus 3. Ut articulo præced. arguebamus, si Ecclesia Romana defecit, ut contendunt Hæretici, debent assignare, in quo defecerit, quo auctore, quo loco, quo tempore; hæc enim omnia notantur in mutatione insignis, qualis hæc foret. Ad hæc autem obmutescunt. Fallor: Quidam dicunt, contigisse ann. 600. alii ann. 763. alii ann. 1200. cui credas? Crede omnes fabulatores & ariolos. Aliud non sat est designari tempus, debent insuper notari dogmata, locus, auctores, oppugnatores.

Respondent, ista notari non posse; quia inquirunt, defectio non simul & simul contigit, sed successive hominibus non advertentibus. At hæc responsum esse miserum, ne dicam fatuum, effugium, nemo non videt. Quis enim sibi inducat in animum, dogmata præsentis realis, cultus & invocationis Sanctorum (horrendas idololatrias aut superstitiones, secundum Secretarios) necessitatem Confessionis articulis (rem adeo arduam & difficilem) Purgatorum, suffragia pro mortuis, vota monastica, & plura alia in veram Religionem irrepsisse, nemine advertente; Quis, inquam, hæc credat? nisi supponat, omnes homines tunc temporis fuisse stipes, aut somno, lethargove correptos.

Dico 2. Ecclesia, in suis Pastoribus representata, sive per Orbem diffusa, sive in unum congregata, errare non potest in rebus fidei & morum proponendis, & definiendis. Prob. ex conclusione præced. Si Ecclesia, suis Pastoribus præsentata, sive per Orbem diffusa, sive congregata, posset errare in rebus fidei & morum proponendis & definiendis; sequeretur, quod omnes fideles, seu Ecclesia, sumpta pro Congregatione omnium fidelium, posset errare in credendo & defecere. Falsum Consequens, ut probatum est: ergo & Ant. Prob. Sequela; quia fideles non credunt, nec credere debent aliud, quam quod ipsis proponunt universi Pastores; eos enim insinuat Christus, ut subditum gregem pasceret, regeret, & doceret in rebus fidei & morum, Act. 20. *Ponit vos Episcopos Spiritus S. regere Ecclesiam Dei.* Matth. 28. *Docete omnes gentes.* Jussit, ut omnes illos audirent, & eis obedirent. Luc. 20. *Qui vos audit, me audit.* Matth. 18. *Si Ecclesiam non audiret, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Undè, quæcumque diximus pro infallibilitate Ecclesie in credendo, probant ejus infallibilitatem in docendo.

His adde sequentia: 1. Ex Scripturis. Christus, alloquens Apostolos & in eis eorum successores Episcopos, dicit Joann. 14. v. 16. „*Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.* Ibid. v. 26. Ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia quæcumque dixerit vobis. Item cap. 16. Cum venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. Et Apost. 1. Tim. 3. Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei, columna & firmamentum veritatis.“ Si dicas, ex his testimoniis sequi Ecclesiam nul-

lam unquam ignorasse veritatem, quod tamén patet esse falsum ex novis Conciliorum Definitionibus: R. his testimoniis duo significari: primum affirmativum, nempe, quod Spiritus docebit omnem veritatem; alterum negativum, ex affirmativo sequens, scilicet quod non permittit errorem veritati contrarium; istud semper impletur: primum autem, quando Ecclesie necessitas, vel utilitas exigit, ut de aliqua veritate de novo instruat.

2. Ex SS. Patribus. S. Irenæus l. 4. c. 43. „*Eis*, inquit, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obedire oportet his, qui successionem habent ab Apostolis... qui Episcopatus successionem, charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt. Tertull. de præscript. c. 21. Constat, omnem Doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis matricibus & originalibus fidei conspirat, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. S. Cyrillus ad Pupinianum: Christus dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt: Qui audit vos, me audit, qui rejicit, me rejicit. Et Ep. Synod. ad Nestorium. Hæc est Catholica Apostolicæque fides, in qua universi Oecumenici & Orientis Orthodoxi Episcopi consentiant. S. Hieron. contra Lucifer. Poteram omnes propositionum rivulos uno Ecclesie sole siccare. S. Aug. l. 7. de Bapt. c. 53. Nobis tutum est... fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini nostri Jesu Christi universali Ecclesie consensione corroboratum est. L. de unit. credendi c. 17. Nolle Ecclesie primas dare, vel summa impietatis est, vel præcipitis arrogantia. Denique notum est illud ejusdem S. Doctoris Ep. contra Ep. fundamenti. c. 5. Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas.“

Dixi 1. *Ecclesia sive dispersa, sive congregata*; quia cum promissiones infallibilitatis sint factæ Ecclesie, & eadem sit semper Ecclesia, sive dispersa, sive congregata, in utroque statu gaudet privilegio infallibilitatis; & cerè Christus non intelligebat de Ecclesia congregata in Conciliis, cum dixit: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus*, cum non omnibus diebus, sed rarissime congregetur Concilia. Insuper Patres laudati loquuntur de Ecclesia dispersa. De Ecclesia verò congregata redibit sermo, dum de Concilio, ubi plura; hæc spectantia, dicenda reservantur, ne omnia simul confundamus.

Dixi 2. *In rebus fidei & morum.* Quantum ad mores, intelligenda est conclusio de moribus spectantibus communem omnium fidelium salutem. Unde Ecclesia errare non potest, sive definiendo aliquid esse bonum & honestum, quod est malum & inhonestum; & e contra aliquid esse inhonestum, & malum, quod est bonum & honestum; sive præcipiendo aliquid, quod communi fidelium saluti sit noxium; aut prohibendo, quod illi est necessarium, seu utile. Ratio est 1. quia hoc esset errare in fide; fideles enim omne virtuosum & honestum approbat, omne vitiosum & turpe reprobat. 2. Esset contra sanctitatem Ecclesie 3. Ecclesia male pasceret fideles; non enim solus fidei, sed etiam morum doctrina pascuntur fideles. Quantum verò ad mores spectantes personas privatas et facta particularia, quorum cognitio pendet ex testimonio fallibili hominum, Ecclesia potest per ignorantiam errare; ut si conjunctos in facie Ecclesie cum impedimento dirimente occulto jubeat simul cohabitare, vel innocentem juridice probatum nocentem excommunicet. In quibus causibus error non est juris, sed facti ab humano et fallibili testimonio dependens. Eadem ratione errare potest in referendis Actis Sanctorum. Eddid Joannes a S. Th. disp. 9. de fide a. 3. post Suarezem et Bannem, Ecclesiam posse errare circa circumstantias, applicationem et executionem legis, quia nimiam præcepta et censuras multiplicando, nimium rigorem in executione exercendo; quia, inquit, hæc videntur pertinere, quasi ad prudentiam et directionem legis, magis quam ad ejus substantiam et moralitatem. Idem videtur sentire Cano. L. 3. de locis Theol. c. 5. q. 5. dicens, *se non omnes Ecclesie leges approbare, non universas penas, excommunicationes, suspensiones, irregularitates, interdictiones commendare: sic enim nonnullas ejusmodi leges esse, in quibus, si non aliud præterea ejusmodi leges esse, in quibus, si non aliud præterea quidquam, ad prudentiam cerè modumque desideret.* Verum hæc, si intelligantur de legibus omnem Christianos spectantibus, propter reverentiam doctissimorum virorum refero; affirmare non audeo. De Canonizatione SS. et de sensu fibrorum, seu factis dogmaticis, sunt speciales et graves difficultates, de quibus infra. Sed etiam

Potes, utrum Ecclesia sit infallibilis in approbatione Ordinum Religiosorum? R. In approbatione alicujus Ordinis Religiosi duo intervenire judicia: Primum, hæc Religio-

nua



nem esse bonam, Evangelio conformem, et perfectioni sequenda: utrum in hoc iudicio errare non potest Ecclesia, alioquin erraret in communi doctrina morum, cum omnibus hanc Religionem proponat ut bonam, & viam ad perfectionem. Aliud est iudicium, utrum hic & nunc expediat hunc Ordinem admittere? Et de hoc iudicio non ita constat esse infallibile; quia non e scientia solum, sed e prudentia pendet. At saltem temeritatis notam non effugeret, qui contra communem Ecclesie sensum erroneum assereret.

*Solvuntur objectiones.*

**Obj. 1.** Plura ex veteri Testamento, ex quibus constat Ecclesiam aliquando defecisse. 1. Ecclesia defecit in Adam & Eva peccantibus. 2. Tempore Noë, cum cuncta cogitatio cordis esset in mala. Genes. 6. 3. In deserto, dum omnis populus adoravit vitulum aureum. Exod. 32. 4. Tempore Eliæ 3. Reg. c. 19. ubi Propheta dicit: *Dereliquimus pactum tuum Filii Israel, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus & querunt animam meam, ut auferant eam.* 5. Jerem. 2. dum dixit Deus: *Omnes me dereliquistis.* 6. Tempore captivitatis Babylonicæ. 7. Tandem tempore Christi Synagoga defecit: ergo.

**R.** 1. Hec omnia & plura alia similia non obstat Conclusioni nostræ, quæ est de Ecclesia Christianorum post Christum natum, & non de Ecclesia veteris Testamenti: & hoc propter duo, 1. quia Ecclesie veteris Testamenti non sunt factæ promissiones, quales fecit Christus Ecclesie novi Testamenti; non enim illi dictum est: *Eccle ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi;* neque, *porta inferi non prævalent adversus illum.* 2. Quia Ecclesia veteris Testamenti non coarctabatur intra Synagogam, poterat enim extra illam salus haberi, ut patet de Job, Melchisedech, Ninivitis, & aliis. Extra verò Ecclesiam novi Testamenti non potest haberi salus: undè necesse est, ut semper subsistat visibilis. Cæterum non concedimus, Ecclesiam veteris Testamenti, seu Synagogam perisse, nisi eo tempore, quo cessare & in novam transmutari debebat; non enim erat perpetuo duratura. Undè ad singula.

**R. 2.** ad primum, 1. Ecclesia fundata in Christo mediatore futuro, vel presenti, de qua est questio, non incepit in Adam & Eva ante suum peccatum; gratia enim, quam in sua creatione acceperunt, non fuit ex meritis Christi futuri, ut docuimus in Tract. de Incarnatione; sed incepit dumtaxat vel in Adam & Eva poenitentibus; vel, ut alii volunt, in Abel. 2. Ecclesia non extinguitur nisi per peccatum infidelitatis; peccatum autem Adæ & Evæ non fuit infidelitatis, sed inobediencie. Nec obstat, quod videntur dubitate de revelatione, dum dixerunt, *Ne forte moriamur;* id enim non dixerunt dubitando de revelatione, sed quia illam acceperunt ut comminatoriam, quasi dixerunt: debemus abstinere ab eis fructibus, quia Deus posset nos morti addicere, sicut minatus est. 3. Si Ecclesia in his defecit, non solum Ecclesia visibilis, sed etiam invisibilis defecit; in his enim duobus utraque consistebat; Sequelam autem non admittunt Hæretici.

**Ad 2.** Tempore Noë equidem cuncta cogitatio cordis erat intenta in malum, sed non in malum infidelitatis, quo solo defecit Ecclesia. Ad 3. Neque Moyses caput Populi, neque Levitæ adoraverunt vitulum: Aaron autem tunc nondum erat creatus Pontifex. Ad 4. 1. Elias loquitur de solo Regno Israël, seu Samariæ, non de Regno Juda, in quo tunc florebat vera Religio. 2. Cum Elias dicit, *Relictus sum solus,* non est sensus, quod ipse solus esset fidelis in universo Israël, siquidem Deus ibidem illi dicit: *Derelinquam tibi in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal;* sed quod solus Propheta esset relictus, quia omnes alii Prophetæ, vel erant occisi a Jezabel, vel in captivitate detenti causam Dei defendere non poterant. Ad 5. *To omnes* in hoc loco, sicut in pluribus aliis Scripturæ locis, non significare omnes omnino & singulos, sed multos. Sic Exod. 9. *Mortua sunt omnia animalia Ægyptiorum.* Pilipp. 2. *Omnes que sua sunt, querunt:* ideoque observat Aug. 1. contra Donatistas post Collat. c. 2. morem esse Scripturæ, quod Prophetæ & Apostoli reprehendant universum populum, quasi omnes essent mali, licet multi sint boni; & quandoque consolentur universum populum, quasi omnes essent boni, licet multi sint mali. Ad 6. Judæis in Captivitate Babylonica liberum fuit observare suam legem, erat in eis Concilium Sanedrim, ritusque suæ Religionis palam

exercerant, exceptis sacrificiis, quæ in solo Templo Hierosolymitano fas erat offerre. Ad 7. 1. Tempore Christi defecit Synagoga; quia non erat instituta, ut in æternum duraret, sicut Ecclesia novi Testamenti, sed usque ad Christum tantum, cuius erat figura: adveniente autem veritate, evanescit figura. 2. Non tam defecit Synagoga tempore Christi, quam in melius mutata, & excellentiore statu adeptæ: etenim pro Circumcisione accepit Baptismum, pro infirmis & egenis elementis accepit Sacramenta, quæ sunt vasa gratiæ, pro agno Paschali Christum ipsum, & pro sacrificiis cruentis animalium sacrificium incrementum filii Dei.

**Inst. 1.** Ipsa etiam Ecclesia novi Testamenti interit tempore Passionis Christi, cum non solum Synagoga & tota gens Judaica, sed etiam ipsi Apostoli a Christo defecerunt, prout prædixerat illis Christus Matth. 26. *Omnes scandalum patiemini in ista nocte:* & ideo in hebdomada sancta unicuique cæteris remanet accensus, ad significandum scilicet, omnes Apostolos, excepta B. V. a fide defecisse; idque asserit S. Bernardus Tract. de Lamentatione V. M. *In ipsa sola;* inquit, *in triduo illo fides Ecclesie stabat.* Idem videtur sentire Aug. in hæc verba Ps. 68. *defecerunt oculi mei: A latrone,* inquit, *Apostoli victi sunt, qui tunc credidit, quando a fide defecerunt.* R. 1. Conclusionem nostram procedere de Ecclesia Christi formata, fuit autem formata dumtaxat die Pentecostes. 2. N. Ant. & ejus Probat. Tempore enim Passionis Christi Joseph ab Arimathea Luc. 23. Nicodemus Joann. 19. Centurio & ii, qui Matth. 27. leguntur timuisse & dixisse: *Verè filius Dei erat iste;* Viri & mulieres, de quibus dicitur Luc. 23. *Stabant autem omnes notæ ejus a longe, & mulieres que secuta eum erant a Galilea.* Denique ibid. *Omnis turba eorum, qua simul aderant ad spectaculum illud, & videbant, que fiebant percutientes pectora sua revertebantur.* Ii, inquam, omnes fidem in Christum habebant; quod est etiam verisimile de 72. discipulis, quantum ad Apostolos, passi sunt scandalum, non amittendo fidem, sed eam non confitendo exterius, ut debebant. Equidem alibi Christus arguit eorum incredulitatem, non quod fidem, quam de anterioribus habebant, amiserint, sed quia erant tardi ad credendum ejus resurrectionem: quod non erat infidelitas proprie dicta, sed infirmitas venialis: non enim intellexerant, quia dixerat ipse Christus, dum cum eis loqueretur de sua resurrectione. Cæterum extincti in hebdomada sancta, ut alibi jam notavi, significant, non Apostolos deficientes, sed Prophetas occisos: & unus, qui remanet accensus, significat Christum, qui semper arsit conjunctus luci divinitatis. Opus laudatum non est S. Bernardi, quippe continet ineptias. Insuper sensus posset esse, quod in B. V. fides firmior & magis explicita remanserit, quam in aliis. Sensus autem est, quod Apostoli victi fuerint a latrone in professione exteriori fidei, dum palam dixit: *Domine, memento mei cum veneris in Regnum tuum;* a qua fidei professione Apostoli ex metu defecerunt.

**Inst. 2.** Tempore Arianismi, præsertim in Concilio Ariminensi Ecclesia defecit. Undè Hieronymus in Dialogo contra Lucifer. dicit: *Miratus est universus orbis, se esse Arianum;* ergo. R. N. Ant. Ad Probat. Id. dicit Hieron. hyperbolicè, ut ex ipso probatur. Cæterum hoc tritum Hæreticorum argumentum ad fibras usque dilutum cum Historia Concilii Ariminensis habes in Tract. de Trinitate Digress. 3. ad Dissert. proœmiale: illic recurrere, ne cogar eadem repetere.

**Obj. 2.** Aliquando defacturam Ecclesiam, testantur Scripturæ: ergo. Prob. Ant. 1. Paralip. c. 15. Azarias Propheta dicit: *Transibunt multi dies in Israël absque Deo vero.* 2. Daniël. 9. *Defecit hostia & sacrificium.* 3. Luc. 18. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* 4. 2. Thesal. 2. *Nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, id est, Antichristus Intellegitur autem discessio generalis, alioquin non foret signum Antichristi: cum frequens sit aliquos a fide defecere.* ergo. R. N. Ant. Ad 1. probationem, ista verba intelliguntur de Regno Judæ, seu Samariæ & dato quod intelliguntur de Regno Judæ, nihil probarent; quia, ut dictum est, Ecclesia universalis non concludebatur intra Ecclesiam Judæorum, seu Synagogam, ut patet in Job, Melchisedech, Ninivitis, Centurione, Euncho Regiæ Candacis, &c. Ad 2. Intellegitur de eversione Jerusalem per Romanos; & de cessatione hostiæ legalis, per mortem Christi abolendæ.

**At dices,** apud eundem Danielem c. 12. legi: *A tempore cum oblatum fuerit iuge sacrificium, & postea fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta:*

at-

*Contra Infallibilitatem Ecclesie circa mores.*

**Obj. 1.** In solis fidei rebus Christus Ecclesie suæ promisit infallibilitatem, dum dixit: *ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua:* R. 1. N. Ant. Hoc ipse enim quo Christus instituit Ecclesiam suam Sanctam, cum officio & obligatione pascendi Fideles, ipsam instituit infallibilem circa mores: alioquin, si in his erraret, nec foret Sancta, nec bene pasceret Fideles. Item, dum promisit Spiritum S. qui doceret Ecclesiam omnem veritatem, utique necessariam ad salutem, etiam promisit infallibilitatem circa mores, quia veritas faciendorum non minus est necessaria ad salutem, quam veritas credendorum. R. 2. Dato Ant. N. Cons. Quia si Ecclesia erraret circa mores, approbando, aut præcipiendo malum ut bonum, aut e contra, erraret contra fidem; quia, ut diximus, fides approbat omne, quod est bonum, & improbat omne, quod est malum.

**Obj. 2.** Si Ecclesia esset infallibilis in Doctrina communium morum, sequeretur, quod omnes veritates morales, quas definiret, aut proponeret Fidelibus, essent de fide. Falsum Conseq. ergo & Ant. Prob. Major a pari. Sic quia Ecclesia est infallibilis circa dogmata, quæcumque circa illa definit, aut proponit, sunt de fide. Prob. Min. Nihil est de fide, quod non sit revelatum in Scriptura, vel Traditione; atque non omnes veritates morales, quæ Ecclesia definit, aut proponit Fidelibus, sunt revelata in Scriptura, vel Traditione, v. gr. quod hic contractus sit usurarius, vel simoniacus; id enim eruitur lumine naturali ex ipsa contractus natura: ergo. R. N. Maj. & ejus Probat. Ratio enim, cur dogmata ab Ecclesia definita sint de fide, non est præcisè, quia est infallibilis circa illa, sed & quia aliunde sunt revelata. Nec quicquam obstat, quominus Deus concedat Ecclesie infallibilitatem circa non revelata, quando sunt necessaria communi Fidelium salutem. Sic Ecclesia est infallibilis circa sensum librorum, seu facta dogmatica; & tamen, quia factum dogmaticum non est revelatum, juxta probabilem plurimum sententiam, non est fidei divinæ, sed ecclesiasticæ tantum, ut infra dicemus. Sic iterum Ecclesia secundum communem sententiam est infallibilis in Canonizatione SS. & tamen probabilis est, non esse de fide, quod canonizatus sit Sanctus, de quo etiam infra. Multa autem Ecclesia proponit Fidelibus, quæ non sunt revelata, præsertim præcipiendo, vel prohibendo. Sic v. gr. præcipit celebrationem festorum, jejunia, auditionem Missæ, &c. prohibet Eucharistiam dari infantibus, Laicos communicare sub utraque specie, & hæc non sunt fidei divinæ, quia non sunt revelata: est tamen semper fidei divinæ, quod Ecclesia in his præcipiendis, vel prohibendis errare non possit. Alia autem Ecclesia proponit circa mores, quæ sunt revelata, tunc maxime cum procedit definiendo; qua definitione posita, quæ erunt tantum de fide quoad se, quia ignorabatur revelato, fiunt de fide quoad nos. Sic sunt plerumque de fide, quæ definiunt circa tot propositiones laxioris & strictioris moralis, etiam (ut non omittam exempla instantiæ) circa contractus simoniacos, aut usurarios; non enim ejus definitiones in his & similibus soli lumini naturali nituntur, sed maxime his, quæ habentur in Scripturis, vel Traditione circa usuram, simoniam, & alias materias.

**Obj. 3.** Ecclesia aliquando mutat suas leges, & quæ uno tempore præcipit, altero prohibet; aut e contra: ergo non est infallibilis circa mores. R. D. Ant. Ecclesia aliquando mutat suas leges in his, quæ sunt intrinsecè bona, vel intrinsecè mala, N. Sicut enim hæc sunt invariabilia, ita leges Ecclesie de illis sunt invariabiles: in his quæ spectant disciplinam, & quosdam ritus, C. Quia hæc possunt expedire salutem pro uno tempore, & non pro altero. Undè, quæcumque mutatio accidat, Ecclesia est semper infallibilis in his proponendis.

**Obj. 4.** Recitatio Officii ecclesiastici pertinet ad mores; atque in eo multa falsa continentur: ergo. R. D. Min. in eo multa falsa continentur contra veritatem historiarum, C. Diximus, autem supra, Ecclesiam in historicis, quæ pendunt ex testimonio fallibili hominum, posse errare: falsa contra fidem, aut bonos mores, N. Quod si hujusmodi forte reperiantur in quibusdam Breviariis, ea nunquam probavit universa Ecclesia, quippe quæ omnium Breviariorum examina non suscepit.

**Obj. 5.** Potest contingere, quod omnes Ecclesie Pastores sint coeci, ignorantes, corrupti, & inducentes in errorem: ergo. Prob. Ant. ex Is. 56. ubi dicitur: *Speculatores ejus cæci omnes, nesciunt universi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia.* Et Jer. 8. *Ipse Pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt a summo usque ad novissimum:* ergo. R. per omnes intelligi multos, phrasi Scripturæ familiari, ut prius observavimus. Vel, hæc dicta esse de Pastoribus Legis Moisaicæ, quibus Christus non promisit infallibilitatem, sicut promisit Pastoribus novæ Legis.

**Obj. 6.** Dum mortuo summo Pontifice vacat Sedes Romana, defecit Ecclesia: ergo. Prob. Ant. Abscisso capite, defecit corpus: ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. Abscisso capite naturali, defecit corpus, & abscisso capite morali, quæ est summus Pontifex, N. Non enim est tanta dependentia corporis politici a capite morali, sicut corporis naturalis a capite naturali; hoc enim abscisso, statim moritur corpus, at non sic de capite morali; mortuo enim, v. gr. Rege Gallie, non defecit Monarchia: similiter mortuo Papa, non defecit Ecclesia, sed permanet Sedes Romana, & Societas Fidelium sub Regimine suorum Pastorum, parata acceptare supremum caput eligendum.